

semper aut ut plurimum accidit. Hinc scandalum ex publica fornicatione secutum auget ejus malitiam, quamvis fornicator de eo non cogitaverit, quia per se sequitur ex tali actu.

Intellige tamen hanc conclusionem cum hac modificatione, quod ex eodem actu non sequatur per se æque immediate duplex effectus, unus bonus, alter malus, juxta aliud principium S. Doctoris, 2^a 2^e, q. 64, a. 7, o, scilicet quod, quando unius actus sunt duo effectus æque immediati, unus possit esse ex intentione, alter præter intentionem nec imputabilis, ut patet in defensione sui contra injustum invasorem, ex qua æque immediate sequitur salus invasi et mors invasoris. De quo dicam amplius *de Jure et Justitia*.

Dico 3^o : Eventus sequens per accidens ex actu, si non sit aliquo modo intentus, ut dictum est in prima conclusione, non addit ad bonitatem vel malitiam¹ : 1^o quia non datur judicium de re aliqua secundum id quod est per accidens; 2^o quia hujusmodi eventus nullo modo, neque in se, neque in causa, est voluntarius. Exemplum habes in muliere quæ ex justa causa procedit in publicum, ex quo prævidet securum lapsum alicujus.

DISSERTATIO V

DE CONSCIENTIA

ARTICULUS I

Quid et quotuplex sit conscientia?

Dico 1^o : Conscientia, quasi cum alio scientia, seu conjunctio et applicatio scientiæ ad aliquid particulare fac-

1. Ibid.

tum¹, definiiri potest : « Judicium seu dictamen intellectus practici ex principiis communibus dictans aliquid in particulari hic et nunc esse fugiendum ut malum, vel faciendum ut bonum; » seu, ut communiter dicitur, « dictans de bonitate vel malitia eorum quæ hic et nunc a nobis sunt agenda. » Est itaque conscientia conclusio syllogismi practici. Sic, v. g., synderesis dicit : « Malum est fugiendum. » Ratio subsumit : « Atqui adulterium est malum. » Conscientia autem concludit in particulari : « Ergo mihi hic et nunc fugiendum est adulterium. »

Explicatur definitio. Dicitur *judicium seu dictamen*, quia conscientia est actus, non potentia aut habitus; potentia enim deponi non potest, et habitus est difficile mobilis, conscientia autem potest deponi et facile mutatur. Dicitur *judicium seu dictamen intellectus*, quia conscientia pertinet ad intellectum, non ad voluntatem, ut patet ex ipsa nominis etymologia; conscientia enim, ut dixi, est cum alio scientia. Dicitur *judicium intellectus practici*, quia intellectus, sicut dum per scientiam moralem versatur circa conclusiones generales de bonitate vel malitia actionum humanarum, dicitur speculative practicus; sic, dum per conscientiam versatur circa conclusiones particulares de bonitate vel malitia hujus actus hic et nunc ponendi vel fugiendi, dicitur practice practicus.

Dicitur *judicium*, non imperium, quod exprimitur verbis modi imperativi : « Fac hoc; » quia hujusmodi imperium supponit conscientiam, estque illi non raro difforme, ut cum conscientia dictat aliquid esse fugiendum ut malum, et homo, imperante ratione et remordente conscientia, facit.

Dicitur *dictans aliquid in particulari esse faciendum vel fugiendum*²; quia, licet conscientia sit etiam de præteritis testificando, approbando, improbando, remordendo, de qua Apost., II Cor., I, 12 : *Gloria nostra hæc est, testimonium*

1. 1^a p., q. 79, a. 13, o; hic q. 19, a. 5, o; q. 17 *de Veritate*, a. 1, o. — 2. 1^a p., q. 79, a. 13, o; q. 17 *de Veritate*, a. 1, o.

conscientiæ nostræ; et *Isa.*, LXVI, 24, de conscientia damnatorum: *Vermis eorum non morietur*. Et ideo conscientia in tota sua latitudine definiri debuisset, « dictans aliquid esse, fore, vel fuisse faciendum aut fugiendum. » Quia tamen hic agimus de conscientia prout est regula agendorum, ideo sub limitatione posita definimus.

[Differt conscientia a *Synderesi*, quæ non est iudicium practice practicum, de his quæ hic et nunc sunt agenda, sed « habitus principiorum operabilium, » qui habitus etiam ad intellectum pertinet. Naturam synderesis ita determinat Doctor Angelicus, 1^a p., q. 79, a. 12, o: « Synderesis non est potentia, sed habitus: licet quidam posuerint synderesim esse quamdam potentiam ratione altiorum, quidam vero dixerint eam esse ipsam rationem, non ut est ratio, sed ut natura. Ad hujus autem evidentiam considerandum est quod ratiocinatio hominis, cum sit quidam motus, progreditur ab intellectu aliquorum, scilicet naturaliter notorum absque investigatione rationis, sicut a quodam principio immobili, et ad intellectum etiam terminatur, in quantum iudicamus per principia per se naturaliter nota de his quæ ratiocinando inveniuntur. Constat autem quod, sicut ratio speculativa ratiocinatur de speculativis, ita ratio practica ratiocinatur de operabilibus. Oportet igitur naturaliter nobis esse indita, sicut principia speculabilium, ita et principia operabilium. Primo autem principia speculabilium nobis naturaliter indita non pertinent ad aliquam specialem potentiam, sed ad quemdam specialem habitum, qui dicitur *intellectus principiorum*, ut patet in VI *Ethic.*, c. 6. Unde et principia operabilium nobis naturaliter indita, non pertinent ad specialem potentiam, sed ad specialem habitum naturalem, quem dicimus *synderesim*. Unde et synderesis dicitur « instigare ad bonum et murmurare de malo, » in quantum per prima principia procedimus ad inveniendum, et iudicamus inventa. Patet ergo quod synderesis non est potentia, sed habitus naturalis. »

Synderesis ergo est habitus, conscientia vero est actus.

Per synderesim intellectus possidet principia generalia quorum lumine iudicare possumus de moralitate agendorum, et conscientia est actus intellectus, a voluntate imperatus, quo applicamus principia moralia ad iudicandum de moralitate actionum nostrarum in singulari.

Quandoque tamen synderesis nominatur conscientia, sed improprie, quia habitus pro actu cuius est principium sumitur. Quod sic advertit Doctor noster, ubi supra, a. 13, o: « Proprie loquendo, conscientia nominat actum. Quia tamen habitus est principium actus, quandoque nomen conscientiæ attribuitur primo habitui naturali, scilicet synderesi, sicut Hieronymus, in glossa *Ezech.* 1, synderesim *conscientiam* nominat, et Basilius, *naturale iudicatorium*, et Damascenus dicit quod est *lux intellectus nostri*. Consuetum enim est quod causæ et effectus per invicem nominentur. »]

Dico 2^o: Conscientia dividitur communiter in veram et falsam seu erroneam, incertam et probabilem seu opinativam et dubiam, in perplexam, scrupulosam et laxam; quia totidem modis ratio iudicat ex principiis communibus de licitate vel illicitate actionis particularis, ut patet ex enumeratione et explicatione singularum.

Conscientia vera, est quæ ex principiis veris dicit aliquid in particulari esse licitum vel illicitum, quod est revera tale.

Conscientia falsa seu erronea, est quæ ex principiis falsis, reputatis tamen veris, dicit aliquid esse licitum vel illicitum, quod non est revera tale. Et est duplex, vincibiliter et invincibiliter erronea, sicut ipsa ignorantia.

Conscientia certa, est quæ formaliter et in se ac in omnibus principiis ex quibus immediate formatur, est talis, ut excludat omnem formidinem rationabilem de opposito.

Conscientia probabilis seu opinativa, est quæ ex principiis tantum probabilibus dicit aliquid esse licitum vel illicitum, cum formidine partis oppositæ.

Conscientia dubia, est suspensio intellectus neutri parti

contradictionis assentientis, sive propter rationes contrarias æque probabiles, et dicitur dubia positive; sive quia nullas habet rationes pro aut contra, et dicitur dubia negative. Melius diceretur nesciens aut ignorans. Quærenti enim an arenæ maris sint pares, melius responderem: « Nescio, » quam: « Dubito; » quia ulterius quærenti, cur dubitem, nihil haberem quod responderem. Conscientia utroque modo dubia, non videtur conscientia proprie et stricte dicta, quia non est iudicium definitum, quale debet esse conscientia.

[Conscientia perplexa est ea qua quis in medio duorum præceptorum constitutus, peccare credit, quæcumque partem eligat. V. g., si quis perjurio posset in iudicio servare vitam aut libertatem rei, et ex una parte angeretur præcepto religionis non pejerandi, et ex alia, errore ductus, præcepto charitatis erga proximum, nec difficultatem resolvere valeret.]

Conscientia scrupulosa, est quæ ex futilibus et prorsus contemnendis rationibus iudicat aut timet ne mala sit actio. Dico: « Iudicat aut timet, » quia, si revera ex his levibus et inanibus rationibus iudicet esse actionem malam, est vere conscientia; si autem tantum timet ne sit mala, contra iudicium quod habet de ejus bonitate, non est proprie conscientia, sed potius umbra vel similitudo conscientia. Prima dicitur ex scrupulis formata, secunda scrupulis agitata. Contra primam non est licitum agere, bene contra secundam, ut dicam infra.

Conscientia lata, seu laxa, est quæ ex levibus admodum et contemnendis momentis iudicat non esse malum quod revera est malum, aut leve malum quod est grave, cum utrumque possit facile deprehendi. Huic accedit pharisaica, quæ magna parvi et parva magni facit, *excolans culicem et camelum deglutiens, Matth., xxiii, 24*. Hæ duæ conscientia, scrupulosa et laxa, in hoc, ut patet, differunt a probabili, quod probabilis nitatur gravibus momentis, non istæ; unde pertinent ad erroneam.

ARTICULUS II

An et quomodo teneamur conformari conscientia erranti?

Duplici modo possumus conformari conscientia: negative, non agendo contra illam; positive, agendo secundum illam.

Dico 1^o: Nunquam licet agere contra conscientiam tam prohibentem quam præcipientem, sive veram, sive erroneam, etiamsi vincibiliter erret; ita ut, si conscientia dicet aliquid esse prohibitum, non possit illud poni, et si dicet aliquid esse præceptum, non possit illud omitti. Est communis cum Authore 1.

Probat 1^o ex illo Apost. *ad Rom.*, xiv, 23: *Omne quod non est ex fide, peccatum est*. Per fidem enim communiter SS. Patres et interpretes intelligunt conscientiam.

Probat 2^o ratione 2. 1^o Conscientia est proxima et immediata regula actuum humanorum, quatenus scilicet intimat seu applicat legem hic et nunc præcipientem aut prohibentem, sive quatenus vi et nomine legis prohibet aut præcipit hunc actum, quamvis forte lex non prohibeat aut præcipiat. Ergo agere contra conscientiam, est agere contra legem actu obligantem, saltem existimatam talem; quod fieri non potest absque contemptu legis.

2^o Ille peccat, qui vult peccatum et ei afficitur 3. Atqui qui agit contra conscientiam, etiam errantem, vult peccatum. Ergo. — Prob. min. Ille vult peccatum, qui facit id quod iudicat peccatum. Atqui qui agit contra conscientiam, facit quod iudicat peccatum. Ergo.

Dico 2^o: Non solum tenemur non agere contra conscientiam invincibiliter erroneam, sed tenemur absolute

1. Hic q. 19, a. 5, o; 1^a p., q. 79, a. 13, o. — 2. Ibid. — 3. *Quodlib.* 3, a. 26, o.

agere secundum illam, dum dicat aliquid esse de præcepto faciendum¹.

Probatur : 1° Quia omissio actus quem conscientia invincibiliter erronea dicat esse de præcepto faciendum, non est ex fide magis quam positio actus quem dicat esse prohibitum. 2° Quia non agere secundum conscientiam invincibiliter erroneam aliquid præcipientem, est agere contra illam : sic, v. g., si conscientia tibi dicat invincibiliter esse mentiendum ad salvandam vitam proximi, si non agas secundum illam mentiendo, hoc ipso agis contra illam. Atqui ex præcedenti conclusione constat, non esse licitum agere contra conscientiam invincibiliter errantem. Ergo.

[Non solum qui operatur cum conscientia invincibiliter erronea, non peccat, sed etiam probabilius acquirit meritum. Ratio est, quia ad dicendum aliquem actum bonum, saltem inadæquate, sufficit ut dirigatur per rationis et prudentiæ dictamen. Cum ergo operans prudenter agit, procul dubio mereri debet propter bonum finem quem intendit et cujus virtute operatur, nempe gloriæ Dei aut charitatis erga proximum, etc.; sicut, e contra, demeretur qui facit opus materialiter bonum, sed apprehensum ut malum, propter malum finem in quem dirigitur. Id eruitur ex hoc principio, quod, si integre seu adæquate, id est materialiter simul et formaliter, actus specificantur ex objecto et fine; at tamen, sub posteriori respectu, ex fine tantum eorum moralitas determinatur, ut Angelicus docet, 1^a 2^a, q. 1, a. 3, o : « Actus morales proprie speciem sortiuntur ex fine. » Unde concludit, *Quodlib.* III, a. 27, o : « Actus humanus judicatur virtuosus vel vitiosus secundum bonum apprehensum, in quod voluntas fertur, et non secundum materiale objectum actus. » Et in hoc consentit Augustino dicenti lib. II *de Moribus Ecclesiæ et Manich.*, c. 13, n. 27 : « Finis quo referuntur ea quæ faci-

1. Hic q. 19, a. 6, o.

mus, id est propter quem facimus quidquid facimus, si non solum inculpabilis, sed etiam laudabilis fuerit, tunc demum etiam facta nostra laude aliqua digna sunt. » Cui consonat Bernardus in lib. *de Præcepto et Dispensat.*, c. 14, n. 41 : « Et quidem, ait, laude dignam dixerim vel solam intentionem piam, nec plane condigna remuneratione fraudabitur in opere quoque non bono ipsa bona voluntas. »]

Dico 3° : Probabilius tenemur agere secundum conscientiam vincibiliter errantem aliquid faciendum, non absolute, sed conditionate et in hypothesi quod non deponatur, ut potest et debet deponi. Est Joannis a S. Thoma, Serræ et plurium aliorum, contra Sylvium et plures alios.

Patet iisdem rationibus : tum quia omissio actus quem conscientia erronea dicat de præcepto esse faciendum, non est ex fide; tum quia non agere secundum conscientiam vincibiliter errantem aliquid faciendum præcipientem, est contra illam agere, ut modo dicebam de conscientia invincibiliter errante. Ergo.

Dices : Potest et tenetur deponere istam conscientiam. Ergo non tenetur agere secundum illam. Equidem potest et tenetur deponere; sed, si non deponat, quid est illi agendum? In hac enim tantum suppositione currit nostra conclusio. Et dicimus quod teneatur illam sequi, quia non potest contra illam agere; ageret autem contra illam, si non sequeretur.—*Inferes* : Ergo obligabitur ad peccandum, quia peccat sequendo illam. Ita est. Obligabitur ad peccandum, non absolute, sed ex suppositione sibi voluntaria, quam auferre potest, deponendo conscientiam. Et hoc non est inconveniens.

Petes 1° quomodo qui laborat conscientia vincibiliter erronea debeat illam deponere.

Resp. debere illam deponere cum prudentia et maturitate, ne, si temere deponat, et forte conscientia quam suspicatur esse erroneam non sit erronea, se exponat

periculo male agendi quod conscientia prohibebat, aut male omittendi quod præcipiebat. Debet ergo adhibere humilem orationem ad Patrem luminum, rem totam exacte discutere, consulere libros aut viros doctos, et talem adhibere diligentiam quam viri prudentes et probi adhibere solent in negotiis momentosis. Sufficit autem, regulariter loquendo, illitteratis, imo et litteratis scrupulosis iudicium, sive pastoris, sive confessarii, sive superioris dicentis conscientiam esse erroneam; quia jure præsumitur, Deum iis quos posuit aliorum rectores non denegare lumen ad eos regendos necessarium, dum proprium illis deficit.

[Hæc quidem vera sunt quoad eum qui hic et nunc aliquo modo advertit aut suspicatur necessitatem inquirendi de licitate actionis, antequam eam ponat. Sed fieri potest ut, etiamsi error sit revera vincibilis, quia olim fuit culpabilis, agens in præsentem eum non advertat nec suspicetur. Hoc accidit confessario qui olim theologiam non satis excoluit, aut hujus studium nimis diu ex negligentia intermisit. De tali confessario S. Thomas rectissime dicit, q. 17 de *Veritate*, a. 8, ad 8, quod « nunquam a peccato excusatur, » sive agat juxta conscientiam, sive contra. Et hujus decisionis ratio est evidens, quia remanet peccatum, quantumvis vetus supponatur, culpabilis ignorantiae eorum quæ quis scire tenetur, ut officia proprii status recte adimpleat. Non incurritur quidem reatus iste eo instanti quo quis acturus est, sed est culpa omissæ olim diligentiae et ab actione præsentem independens. Unde gravitas hujus peccati non desumitur ab actione nunc ponenda, sed ex communibus principiis de peccatis ignorantiae aestimanda est. Hinc perspicitur etiam cur, in casu, magis reus sit qui agit contra conscientiam, quam qui juxta. Hic enim prædictum tantummodo ignorantiae reatum habet; ille vero, præter hunc, addit nunc alium reatum actionis contra conscientiam positæ, ex principio ab Apostolo enuntiato, *Rom.*, xiv, 23 : *Omne quod non est ex fide, peccatum est.* — Si ille qui tali ignorantia laborat,

culpam admissam per congruam pœnitentiam et additam diligentiam, ut par est, retractaverit, illi æquiparandus est qui in ignorantia invincibili versatur.]

Petes 2º utrum subditus possit obedire superiori contra conscientiam dictantem esse illicitum hic et nunc illi obedire.

Resp. negative; quia, ut dictum est, nunquam licet agere contra conscientiam, et ipsa obligat vi præcepti divini, quod præponderat præcepto hominis. Si tamen sit vincibiliter erronea, subditus debet eam deponere et obedire.

Verum cave ne hic confundas conscientiam de licitate vel illicitate obedientiæ præstandæ hic et nunc superiori, cum dubio aut judicio speculativo de injustitia ejus præcepti, prout quidam hic videntur confundere, et ideo hanc quæstionem valde perplexæ tractant et resolvunt. Hæc enim sunt omnino diversa, et potest subditus dubitare, aut etiam probabilius judicare speculative superiorem male præcipere, et tamen practice judicare se teneri hic et nunc illi obedire. Quod ut explicetur,

Petes 3º utrum subditus dubitans aut probabilius judicans præceptum superioris esse de re illicita, possit et debeat illi obedire.

Resp. Subditus qui non est certus, sed dubitat, aut etiam probabilius judicat præceptum superioris esse de re illicita, regulariter loquendo, potest et tenetur illi obedire, formando sibi conscientiam moraliter certam de licitate suæ obedientiæ ex principiis sequentibus.

1º SS. Patres docent obediendum esse superiori, quando non est certum quod id quod præcipit sit contra Deum. Aug., lib. XXII contra *Faustum*, cap. 75 : « Vir justus, inquit, si forte sub rege homine etiam sacrilego militet, recte posset, illo jubente, bellare, civici pacis ordinem servans; cui quod jubetur, vel non esse contra Dei præceptum certum est, vel utrum sit, certum non est. » S. Bernard., lib. de *Præcept. et Dispensat.*, c. 9, n. 21 :

« Quidquid vice Dei præcipit homo, quod non sit tamen certum displicere Deo, haud secus omnino accipiendum est, quam si præcipiat Deus. » S. Bernardinus Senensis, in dialogo *de Obedientia*: « Subditus rationabiliter dubitat an quod præcipitur, sit peccatum: an non tunc præfecto obedire tenetur? »

2° Superior habet jus certum præcipiendi, neque ob dubium subditi exiit jure suo. Ergo subditus tenetur illi obedire; sunt enim correlativa jus præcipiendi et obligatio obediendi.

3° Ex denegatione obedientiæ, dum causa manifesta assignari non potest, enervatur autoritas in superioribus, deperit obedientia in subditis, nascuntur jurgia et contentiones inter superiores et inferiores, sicque regimen impeditur in multis, cum aliorum scandalo.

Ex his ergo principiis, quamvis permaneat speculativum dubium aut judicium probabilius de inhonestate præcepti, quod suppono esse invincibile, potest subditus sibi formare conscientiam moraliter certam de honestate suæ obedientiæ, sic discurrendo: Possum et teneor obedire superiori, quando non sum certus quod id quod mihi præcipit sit contra Deum. Atqui non sum certus quod id quod mihi hic et nunc præcipit sit contra Deum. Ergo possum et teneor hic et nunc illi obedire. — Major est moraliter certa, ex principiis positis. Minor est physice certa, adeoque et conclusio, quæ est conscientia, est moraliter certa.

Dixi, « regulariter loquendo; » quia conclusio patitur exceptionem, si nempe ex obedientia sequatur gravius inconveniens, quam ex inobedientia. Non enim censetur superior prudens velle obligare in his circumstantiis, alioquin abuteretur jure suo. Et si instet, ignorans forte inconveniens, intelligendum est quantum potest et debet subditus obedire. Neque dici potest quod habeat jus certum præcipiendi in his circumstantiis, sed e contra potius videtur certum quod non habeat.

ARTICULUS III

Cujus speciei et gravitatis sit peccatum agere contra conscientiam?

Dico 1°: Agere contra conscientiam, sive rectam, sive erroneam, secundum se non est speciale peccatum; quia præceptum agendi secundum conscientiam non est speciale præceptum, sed generale, quale est præceptum obediendi legi. Unde quod sit contra conscientiam rectam, v. g., furari, remordente conscientia, retinet speciem peccati quod committitur, scilicet furti; quod autem sit contra conscientiam erroneam, pertinet ad eam speciem peccati quam dictat conscientia contra quam agitur¹: ut, si conscientia dictat esse mentiendum ad salvandam vitam proximi, non mentiri pertinet ad peccatum homicidii; si dictet jurare esse sacrilegium, si juret, erit sacrilegium. Ratio est, quia actus specificatur ab objecto, non ut est in se, sed ut est in apprehensione.

Dico 2°: Quod fit contra conscientiam, sive vincibiliter sive invincibiliter errantem, est mortale vel veniale; quia, sicut species, ita et quantitas malitiæ sumitur ab objecto, non secundum se, sed ut apprehenso et voluntati proposito². Unde qui agit contra conscientiam dictantem esse mortale, peccat mortaliter; si conscientia dictet esse veniale, peccat venialiter. Excipe, nisi id quod conscientia errans vincibiliter dictat veniale vel leve, sit reipsa grave et mortale; quia error voluntarius, qualis est vincibilis, non tollit gravitatem essentialem peccati. Unde qui furatur aureum, putans vincibiliter esse peccatum veniale, peccat nihilominus mortaliter.

Dico 3°: Si conscientia errans dictat aliquid esse malum, sed non determinat esse mortale vel veniale, quod non raro accidit, distinguendum est. Vel conscientia proponit,

1. Hic q. 19, a, 5, ad 3. — 2. Ibid.

saltem confuse, materiam circa quam versatur ut quid grave, aut ut quid leve: si primum, agere contra ipsam erit mortale; si secundum, erit veniale. Eadem semper est ratio, quia quantitas malitiæ voluntatis est ab objecto per rationem apprehenso. Si vero nullo modo, nec etiam in confuso, attendat ad gravitatem vel levitatem, probabilius videtur quod tunc sit peccatum mortale agere contra illam; quia sic agens se exponit periculo peccandi mortaliter, vultque peccatum committere qualecumque sit. — *Confirmatur.* Qui paratus est jurare quodcumque, sive verum sit, sive falsum, si non attendens ad verum vel falsum juret, peccat mortaliter jurando, etiamsi verum juret. Ergo similiter.

Cæterum ad aliqualem hujus resolutionis modificationem, pro conscientiarum tranquillitate, existimamus cum Sylvio, quod si quis ita esset animo dispositus, ut si veniret illi in mentem, id quod agit esse mortale, nequaquam illud vellet committere, excusaretur a mortali; quia ex illa dispositione habituali præsumitur quod illud quod agit non apprehendat ut mortale.

ARTICULUS IV

Quomodo se gerere debeat confessarius cum pœnitente quem deprehendit laborare conscientia erronea?

Dico 1^o: Si agatur de conscientia errante vincibiliter, videtur extra dubium confessarium teneri monere suum pœnitentem: 1^o Quia, tamquam medicus, debet præcavere ejus peccata formalia, a quibus non excusatur per conscientiam vincibiliter errantem. 2^o Quia talis pœnitens est in malo statu et incapax absolutionis. Idem dicendum de iis qui interrogant, an hoc sit peccatum nec ne; quia, hoc ipso quo interrogant, videntur dubitare, nec habere ignorantiam invincibilem, et aliunde confessarius non est tantum judex pœnitentis, sed est doctor, cujus officium est instruere, præsertim eos qui petunt instrui. Et hanc utram-

que conclusionis partem veram existimo, etiamsi nulla appareat spes emendæ; quia eadem rationes urgent, et insuper ex monitione nullum sequitur inconveniens; pariter enim peccat formaliter pœnitens monitus vel non monitus, cum ejus ignorantia vincibilis eum non excuset a peccato formali.

[*Petes* quibus signis confessarius cognoscere possit errorem fuisse vincibilem in pœnitente.

Resp. Interroget: 1^o an aliquam indecentiam in hoc actu adverterit; 2^o an ipsi sua conscientia dictaverit, esse saltem interrogandum confessarium, vel alium virum prudentem; 3^o an occasionem interrogandi ex verecundia aut metu neglexerit. Si pœnitens affirmative respondeat ad unum vel alterum ex his, censi potest inculpabili errore versari; secus, si ad omnia neget. Gury, *de Conscientia*, n. 38.]

Dico 2^o: Si agatur de conscientia errante invincibiliter, distinctione opus est. Vel est spes emendæ, nec periculum gravioris inconvenientis ex monitione, vel non est spes emendæ, aut est periculum gravioris inconvenientis quam sit peccatum materiale pœnitentis. Si sit spes emendæ, nec sit periculum gravioris inconvenientis quam sit peccatum materiale pœnitentis, confessarius tenetur eum monere; quia, tamquam doctor, tenetur, ubi non timetur inconveniens, instruere suum pœnitentem, et in eo præcavere peccata, etiam materialia. Si vero nulla sit aut admodum exigua spes emendæ, aut si sit, jure tamen timentur graviora inconvenientia quam sit peccatum materiale pœnitentis, regulariter confessarius nec tenetur, nec potest monere. Ratio primæ partis, quia, seclusa spe emendæ, gravissimum sequitur inconveniens, nempe quod iste pœnitens peccabit formaliter, cum ante peccaret tantum materialiter, et quod monitus damnetur, qui non monitus potuisset salvari. Satius est ergo ipsum relinquere in bona fide: unde Aug., hom. 4^a, inter 30, relatus cap.

1. Hæc homilia in append. fuit relegata in edit. benedict.

si quis, dist. 7 de *Pœnit.* : « Si scirem non tibi prodesse, non te admonerem, non te terrerem. » Ratio secundæ partis est, quia e pluribus malis minus est eligendum.

Dixi, « regulariter, » quia quidam casus excipiuntur. Excipitur 1^o si pœnitens ignoret invincibiliter quæ sunt seitu necessaria necessitate mediæ ad salutem, ut Deum esse trinum, esse incarnatum, dolorem de peccatis esse necessarium cum sacramento ad obtinendam remissionem peccatorum, et similia. Sive enim sit spes emendæ, sive non, confessarius de his monere debet et instruere suum pœnitentem, tum quia alias pœnitens non est capax absolutionis, tum quia, etiamsi non moneat, perinde non salvabitur ob ignorantiam istorum. Satius est ergo eum ponere in eo statu in quo possit salvari, si velit, et a quo est verisimile quod non excludatur spes emendæ pro toto decursu vitæ.

2^o Excipitur si ignorantia invincibilis pœnitentis vergat in scandalum multorum aut damnum boni communis; ut si sacerdos ministrans sacramenta sit invalide ordinatus, si nullitas alicujus matrimonii sit notoria, etc. Monendus est pœnitens, sive sit spes emendæ, sive non, quia bonum plurium, maxime bonum commune, prævalet bono alicujus particularis.

Quidam addunt, nec male, etiamsi ignorantia pœnitentis vergat in damnum grave alicujus particularis; quia videtur esse charitatis et æquitatis ut magis præcaveam damnum innocentis*inviti, quam damnum illius qui supponitur propria voluntate et malitia illud incurrere.

[Hic distinguendum est: an scilicet damnum grave ex tali errore a persona particulari tolerandum, salutem animæ ejus vel tantum bona temporalia in discrimen conjiciat. Si prius, videtur monendum esse errantem invincibiliter, quia, si forte monitioni non acquiescat, periculum salutis ab altero saltem amovebiter, et bonum amissum bono ejusdem naturæ et ponderis compensabitur. Si errans, nolens obedire, pereat, propria culpa peribit, et dici non potest ejus animam alteri animæ præferendam

esse. In posteriori casu, cum bonum superioris ordinis bono ordinis inferioris sit anteponendum, censemur errantem probabiliter monitioni non obtemperatum in bona fide relinquendum esse. Si objiciatur quod consensus ejus qui damnum hujusmodi patietur præsumi non debeat, respondemus eum non esse rationabiliter invitum, quia ordo charitatis exigit ut cum temporali detrimento, etiam gravi, salutis æternæ proximi provideatur. Insuper, confessarius, de quo hic præcipue agitur, tenetur ex officio prospicere bono spirituali pœnitentis, non vero bono temporali alterius, et cum hæc duo mala simul avertere non possit, minus eligere, seu potius permittere, debet.]

3^o Excipitur a quibusdam recentioribus, et bene, si ignorantia sit juris naturalis, quoad secundaria principia, v. g., pollutionis, delectationis venereæ, etc. Quia, etsi possit dari ad tempus ignorantia invincibilis illorum (quod tamen multi negant), hæc ignorantia non potest diu durare, ac facile et brevi fiet vincibilis, propter suspicionem malitiæ quam de se ingerit actio de se mala et inhonesta. Unde, si non moneatur pœnitens, suspicionem hanc, quando continget, quasi male fundatam ex silentio confessariorum reputabit et facile contemnet, sicque in peccato jam formaliter, ex conscientia errante vincibiliter, perseverabit; si autem moneatur, spes est quod majori cum remorsu peccabit, pravam consuetudinem confessariis aperiet, ab eis salutaria remedia recipiet, et tandem resipiscet.

Dices contra secundam partem secundæ conclusionis: Pœnitens in quo non est spes emendæ, si moneatur, non debet censi sufficienter dispositus ad absolutionem. Ergo.

Resp. Nego ant. Ut enim censeatur sufficienter dispositus, sufficit quod detestetur peccatum super omne malum in genere, nec est necesse quod ad singularia descendat; alioquin, attenta fragilitate humana, pauci forent veri pœnitentes: « Contritus, inquit S. Thomas, *Quodlibeto* 1, a. 9, o, tenetur in generali velle magis pati quameumque pœnam, quam peccare...; sed in speciali descendere ad